


W. 19. (1. 2.)

8e534



D. AGAPETI SANCTÆ
CONSTANTINOPOLI,
TANÆ ECCLESIAE DI,
ACONI, AD IVSTINIA,
num Cæsarem Augustū,
opusculū boni p̄cipis
Officia breuib⁹ sen
tētijs cōplectens,
Petro Mosella
no Protegē
se inter
p̄te.



ILLVSTRISS. PRINCIPI AC DOMINO

D. GEORGIO SAXON. DVCI PROVIN

CIAE TYRINGIAE PRAESIDI MI

SIE DENIQVE MARCHIO

NI, HEROI STUDIO

RVM BE

NIG

NIS

SIMO ME

COENATI PE

TRVS MOSELLANVS

PROTEGENSIS. S. P. D.

INTER ALIA MORTALIVM

decora, Georgi princeps inclyte, nihil

vel patet latius vel lucet splendidius, quā

imperium a deo in subditos concessum,

bene ac laudabiliter administrare. Ete

nim ceterorum hominū virtutes quan

tumuis sint magne, quantumuis lauda

te, regnant tamen angustius, & nō tam alijs, quā sui possesso

res exornant. Ut qui priuati reipublicae habenas non tractāt

minus profint alijs, si sint boni, q̄ sibi ipsi nocēt, si mali. At reg

ni administratio salutaris quo longius extenditur, eo maior

utilitas in genus humanū deriuatur. Nam quod sol in mun

do hoc est in republica bonus & salutaris princeps. Ut enim

sole affulgēte subito exhilarescunt omnia, Caelum nubilis dis

cussis apparet serenum, ac terra mortalium oculis virore suo

blanditur, nec deniq; in tanta rerū mole quidq̄ est, quod nō

eius syderis praesentiam peculiari aliqua leticia testetur, Ita

iquando reipublicae, diuino munere, cōtingat princeps suo

A ij

nomine dignus, is repente a subditorum suorum animis omnes tristitię tenebras virtutis suę luce depellit Siquidem innotescit fore vt sub huius principatu & bonis sua sint premia, & malis, bonorum tranquillitati insidiantibus, non desint supplicia. Quorsum autem attinet hoc exemplis longius repetitis exaggerare, cū hoc in sua republica quisq; domi possit experiri? Sed vt non est aliud in terris vel gloriosius vel magnificentius quā boni principis officio fungi, ita rursus nihil difficilius, nihil laboriosius. Quo melius de humano genere meriti videntur maiores nostri, siue greci siue latini, qui ingenio excellenti præditi & longo rerum vsu facti prudentiores, regię discipline velut quandam viam posteris nobis cōmonstrarūt, scriptis in hoc saluberrimis sane, si agnosceremus, præceptis. Neq; enim credendum est, cum ad cætera munia rectius obeunda mortales arte, quisq; sua, plurimū iuuentur, solos principes disciplinæ suæ fructum nō sentire. Præsertim cū vt quisq; veterum fuit sapientissimus ita hoc doctrinæ genus diligentissime excoluerit. Quid enim ille regū laudatissimus Solomon in suis prouerbijs spectauit aliud quā vt rudem futuri regis animū eiusmodi præceptiunculis informaret? quid aliud magnus ille Xenophon & dux & philosophus in suo voluit Cyro, quē dum ab omnib; regijs virtutibus tot libris collaudat, quantum ethnico licuit, absolutam boni principis imaginem expressit, Vt iterum nihil dicam de his, qui hęc artem iustis voluminibus vel ex professo tradiderunt, Platone Aristotele, Isocrate ac Cicerōe. Porro Erasmo Roterodamo theologus nostra memoria citra controuersiam doctissimus simul & eloquentissim; hoc in argumento tractando veteres omnes tum grecos tum latinos, si nō longo interuallo superauit, certe singulorum virtutes æquauit, vt quod tot libris

conati sunt per partes adeo multi, ipse vnus absolute totū pre-
stitisse videatur. Verū quia Erasmica institutio paulo est pro-
lixior, & principibus tantorum negotiorū cura districtis tot
chartas euoluere non semp vacat, operæ pretium me factu-
rum putauī & tuæ celsitudini non ingratum, si D. Agapeti
quōdam Constantinopolitanę ecclesię Diaconi opusculum,
idē argumētū paucis eisq̄ breuib⁹ sentētijs cōplectēs, e gręco
sermone in latinū transponerē, ac faustissimo noīs tui auspicio
publicarem. Non quod tu, qui recte imperandi vel exem-
plar videri queas, eiusmodi institutione indigeas, sed vt sup-
petat, in quo velut speculo quodam virtutes tuas ac tuam ip-
sius faciem cōtempleris. Et alioqui cui potius hoc, quicquid
est laboris, dedicarē q̄ tibi Mecœnati meo longe benignissi-
mū, qui hūc homuntionē sic liberalitate foues, sic iudicio hos-
norifico ornas, sic deniq̄ auctoritate tueris, vt si nō vnīuersū
studiorum meorum prouentum in tuæ celsitudinis gloriam
compararo, sim plane futurus mortaliū omniū ingratiſſim⁹.
Iam quod ad interpretis fidem attinet, hic nō nimis fui super-
stitiosus. Immo preter q̄, quod plæraq̄ omnia cæsari Iustia-
niano vni totius orbis monarche peculiariter adscripta, ad
regulos & minores etiam principes attemperauimus, ausi
quoq̄ sumus nonnulla nostro more μεταφρασαι, & liberis
ore verborū ambitu circumducere Nimirū si quando grec⁹
ille, dum των ὁμοιοτελευτων και ὁμοιοπτωτων illecebras
nimium venatur, a sententiarum concinna grauitate declina-
uit. Id quod prefandum nobis fuit, ne quod studio & cōsilio
certo fecimus, lector v̄ paulo crassior, vel parum candidus,
errore admissum calumnietur. optime Vale clariss. princeps
Ex Lipsia tua nūc post hoc pestis malū sopitū, rectissimis stu-
dijſ foelicissime reflorescēte Idib. Februar. An. M. D. XX.

A iij

**DIVINISSIMO PRINCIPI AC VERAE
PIETATIS CVLTORI MAXIMO
IVSTINIANO AGAPETVS
DIAQONVS INFIMVS.**

**PRIMA VIRTVS PRINCIPIS PIETAS
ERGA DEVM.**

VM IN EO HONORE, IVS-
tiniane Cæsar, sis cõstitut⁹, quo homini
inter hoïes maior cõtingere nequit, of-
ficij tui est vicissim præ cæteris honorare
deum, qui te tanta sublimitate est digna-
tus, vt ad cælestis regni exemplum, ter-
renæ potestatis sceptrum tibi tradiderit. Nimirũ vt per te ius-
titiaæ obseruationem mortales cõdiscant, & qui cõtra hanc,
velut rabidi canes, insaniũt, te vltore latratus suos compes-
cant, dum & ipse æquitatis legib⁹ pares, et subditis tuis legit-
time imperas.

PRINCIPEM VIGILANTEM ESSE OPORTET.

V in suam ac suorum salutem gubernator, sic &
oculatissima principis mens, perpetuo vigilabit,
videlicet vt sine nafragij periculo gubernacula te-
neat, & iniquitatis fluctus fortiter repellat. Alioqui periculũ
est ne vniuersæ reipublicæ cymba iniusticiæ vndis tandem
succumbat.

NOSCE TE IPSVM.

d Iuinũ plane & primum est documentũ, Quo ho-
mines monemur vt nos ipsi cognoscere, pro se

quisq; studeam⁹. Nam qui se ipsum cognouit, deum in ima-
gine sua relucenē cognoscat. Qui vero cognouerit deum, ei
quantum licebit fiet similis. Porro similis erit, si deo fuerit dīg-
nus. At is demū deo dīgn⁹ est, qui eo indignū nihil facit, Ve-
rum quæ dei sunt sapit, & quæ sapit, loquitur, ac deniq; quæ
loquitur, facit,

NOBILITAS GENERIS.

M Aiorum suorum nobilitate nemo sibi placeat. Quā-
do lutum generis sui progenitorem habent om-
nes, siue purpura ac bysso superbiant, siue pauper-
tate & morbis affligantur, siue diademata gestent reges, siue
victum hostiarum quærant mēdici. Non ergo commitendū
est, vt de luto genere gloriemur. Quia potius annitēdum,
vt morum & vitæ bonitate honestiores euadamus.

GRATITVDO PRINCIPIS ERGA DEVM.

S Cito o pietatis simulachrum dei manibus fabrica-
tum Iustiniane princeps optime, Quod quanto
maioribus dotibus exornare te dignatus est de-
us, tanto pluribus nominibus te sibi obstrinxit. Redde itaq;
gratitudinis debitum Creditori adeo benefico, vt debitum
redditum, gratiam interpretetur, & pro gratia gratiam repen-
dat. Semper enī munificentia sua anteuertit, & dona, perin-
de ac si debita essent, prestat. Interim a nobis nihil aliud quā
gratitudinem expectans, hoc est vt non tantum benigna di-
camus verba, sed & pia exhibeamus opera.

BONI PRINCIPIS NON EST POTENTIA SVA ABVTI.

nihil adeo superis pariter & mortalibus hominem commēdat, quā si cui quod libet, licet, is bene candidēq; semp & velit & faciat. Quia ergo diuino munere tibi data est facultas, qua optima tua voluntas ante egebat, vt nobis quantum velles prodesse non posses, nunc superest vt omnia tum velis tum facias, vt, ei, qui ad hanc potentiam te vocauit, placere cognoscis.

NON EST FIDENDVM OPIBVS.

errenarum rerum instabiles opes lubricum fluviorum cursum imitantur. Siquidem breue ad tempus illis qui se possidere putant, affluunt, mox autē in diuersum fluentes ad alios subinde diuertunt. At benefactorum thesaurus, solus sui possessoribus stabilis manet. Nimirū quod bonorum operum gratia, ad eos qui bene faciūt, reuertatur.

PRINCIPEM FACILEM ESSE OPORTET

facit quidem potentia tua terrena celsitudo, vt nō cuiusuis sit te adire & tecum colloquio iungi. Sed tu superna potentia numen in hoc reueritus, tua ope egentibus facilem & expositum te prebe & paupertate oppressis benignitatis tuę aureis aperi. Sic enim fiet, vt dei aures & tibi precanti pateant. Nam quales nos ipsi erga conseruos nostros praestiterim⁹, talem erga nos communē omnium dominum experiemur.

PRINCEPS A VITIIS PURVS ESSE DEBET.

V T a speculo maculas, ita & a principis animo tot
curis obnoxio viciorum inquinamenta abstergi
oportet. Nimirum vt diuini numinis radijs illu-
stratus refulgeat, & rerum omnium iudicia celitus edoceatur.
Neque enim est quidquam, cuius beneficio, quid in quaque re de-
ceat, tam videamus, quam si animum per omnia purum semper
conseruare studeamus.

PRINCIPIS ERROR OMNIBVS NOCET.

V T in naue, si quando nauta quispiam ab officio suo
erret, nauigantibus non adeo magnum incommo-
dum adfert, verum si ipse gubernator cessat, & se &
vectores omnes in extremam perniciem adducit, sic & in re-
bus publicis, si qui ex subditis & priuatis peccant, non tam
alijs, quam sibi malum accersunt. Sed si princeps ipse suo mun-
ere male fungatur, damnum dat vniuersae reipublicae. Proinde
summa diligentia omnia tum dicat tum faciat. Alioqui penas
deo ingentes erratorum suorum daturus.

IN REB. MUTABILIB. PRINCIPIS RELI-
GIONEM IMMUTABILEM SER-
VARI CONVENIT.

R Erum humanarum summa circulus quidam est, qui
cum aeterna vertigine in orbem recurrat, alias alio
humana deuoluit, ac reuoluit. Quae rerum inaequa-
litas hinc prouenit, quod ex presentibus nihil in suo statu per-
manet. Oportet ergo fortissime princeps in tanta & tam su-
bitaria rerum omnium permutatione pietatis rationem immu-
tabilem conseruare.

B

PRINCEPS ADVLATORES NON
ADMITTET.

a Versare adulatorum nō minus fraudulentos quā
blandos sermones, perinde ac coruorū rapacitatē.
Etenim vt hi corporis oculos effodiunt, ita illi ani
mi iudiciū occecare solent, nec veram rerum faciē cerni si
nunt. Dum vel vitio danda laudant, vel laudanda sepe vitio
perant. Vt e duobus modis altero semp peccetur, vt vel lau
detur malum vel bonum iniuria afficiatur.

PRINCIPIS CONSTANTIA.

p Orro principis mentem oportet semper sui simi
lem esse sibiq; per omnia constare. Nam simul cum
externis rebus & animo mutari, signum est homi
nis parum sibi constantis. At in honestate fixum esse, prout
* Christianæ pietatis stat soliditas, ita vt nec in arrogantiam at
tollaris, nec ad tristitiam deprimaris, hoc demū est eorū qui
tutissimo itinere ingrediūtur, quiq; animam habent ab exter
nis motib⁹ inconcussam. Iam si cui rationem ab humanis er
roribus purgatam habere contigit, vt & naturæ suæ vilitatē
& vitæ huius fugacem breuitatem, tū & sordes carni coniū
ctas consyderet, is certe in superbix scopulum nō impinget,
quantumuis exelsum dignitatis gradum obtineat.

PIETAS PRINCIPIS.

i Nter omnia terreni regni decora nihil magnifis
centius exornat principem, quā culte pietatis or
namentum. Siquidē opes fluxæ sunt, & pereunt
& huius mundi gloria peritura transit. At diuinæ reipublice
decus in infinitum seculorum spaciū protenditur, & sui parti
cipes ab obliuionis asserit iniuria.

PRINCEPS PAUPERVM CVRAM
GERERE DEBE T.

I Onge absurdissimum mihi videtur diuites ac pau-
peres mortales ex diuersis omnino causis damnū
simile accipere. Dū illi prae facierate nimia dirūpū-
tur, hi vero fame contabescunt. Illi orbis fines possident, hi
quo pedem sistant, non habent. Vt ergo sanitatem assequan-
tur vtrique, illis detrahendum, hijs vero apponendū. Hac enī
cura ab inaequalitate transferrentur ad equalitatem.

PRINCIPIVM SAPIENTIAE REGIAE
DEI TIMOR.

N Ostra memoria aurea illa & foelicis vitæ tempora
extiterunt, Quæ veterum quidam tum fore prae-
dixit, cum aut eruditi regnarent, aut reges eru-
ditioni studerent. Etenim sapientes regni gubernaculis sunt
adhibiti, & qui regnum administrant a sapientia non abhor-
rent. Si enim sapientiae studere sapientes facit, & dei timor
quem in pectore tuo semper geris, sapientiae est initium, facile
le apparet, quam verum sit, quod a me hic est dictum.

PRINCEPS EST QUI VOLVPTATIB.
IMPERAT.

A C princeps quidem sic demū vere pronunciaris,
si cupiditatibus imperes, & a voluptatib⁹ reperes,
& temperantiae corona redimitus, ac iustitiae purpura fueris
indutus. Quandoquidem aliam potestatem quantumuis mag-
nam, mors excipit. Tale autem imperium perpetuo durat. Vt
& illud quidem in hoc seculo dissoluitur, hoc autem ab aeter-
no supplicio hominem liberat.

BONITAS PRINCIPEM OMNIB.
COMMENDAT.

Quod si ab omnibus honoris premium captas, age
vniuersis benignitatē tuam aperi. Neq; enim ho-
minū beneuolentiam concilat quiq; perinde ac be-
neficiorum gratia in egentes collata. Nam obseruantia, quæ
subditis metu extorquetur, anxia quedā est & personata adu-
latio, fictæ reuerentiæ nomine imponens sui captatoribus.

PRINCIPIS EST VOLENTIBVS, ET
AMANTIB. IMPERARE.

Colendum est merito nostrum imperium. Quan-
do non minus hostibus sua potentia est formida-
bile, quam benignitate erga subditos nobis ama-
bile. Vt enim illos armorum vi superat, ita subditorum suos
rum inermi amore superatur. Quātū enī feræ interest ouis,
tantum inter hec duo apparet discrimen.

PRINCEPS ET DEVS ET HOMO.

Quod ad corporis essentiam attinet, cuius homini
æqualis est princeps, verum si dignitatis præcellen-
tiam spectes, similis oīno sūmo deo. Neq; enim ag-
noscit in terra se sublimiorem. Itaq; conuenit vt quatenus deī
est imago, non irascatur, nec inmodice sibi placeat, cum sit ho-
mo. Nam & si dei imagine sit honoratus, est tamen æque ex
abiecto puluere cōpactus. Quæ res eum docere debet, vt in
omnes æqualitatem agnoscat.

CONSILIARII PRINCIPIS.

Eos amplectere, quorum studium est recta, et bo-
na consulere, nō etiā eos, qui vbiq; adulari sunt pa-
rati. Illi enī vere qd' vtile est, inueniunt, hij autē ad ea,

quę principibus blandiantur, respiciunt. Et vt vmbra respondeat corpori, ita illi principū suorū dictis factisque se cōformāt.

PRINCIPIS OFFICIUM ERGA
FAMILIAM SVAM.

Rega familiam tuā talem te prebe, qualem tibi optas dominum tuum contingere. Nam qua benig-
e nitate audimus alios, eadem vicissim & nos au-
diemur, & quo vultu intuemur alios, eodem nos diuinus ille, & omnia cernens oculus respiciet. Itaque dei misericordiam nostra puocem⁹, vt hac via nobis simile simili, beneficiū beneficio pensetur.

PRINCEPS DE ADMINISTRACIONE SVA
DEO RATIONEM REDDET.

T specula quę proba sunt, talem reddūt imaginē
v qualem sibi faciem oppositam habuerint, vr hilarem hilarescentium, tristem tristium Non aliter &
iustum dei iudiciū, in quo omnia, velut in speculo, relucet, nostris factis respōdet. Etenī cuiusmodi fuerint nostra facta, eiusmodi & nobis, ratione similitudinis habita, rependet.

PRINCIPI CONSIPIO OPVS EST.

Ntequā faciēda incipias, consulto, at vbi consulueris mature factō opus est. Siquidem moliri aliquid in mortalium rebus non ante captato consilio, lubricū sane fuerit, & vehementer periculosum. Quod si qui consideret in quot calamitates neglectum consiliū coniecerit plerosque, is demū quanta cōmoda prudens deliberatio prestat, cognoscet. Fit enī, nescio quo modo, vt post degustatū morbū sanitatis beneficiū magis agnoscam⁹. Oportet

B iij.

ergo prudentissime princeps tū consilio perspicaci, tum atten-
tis et pijs votis diligēter, q̄ toto orbi, p̄ futura sint, explorare.

PRINCEPS NIHIL, QVANTVMVIS
PARVVM NEGLIGET.

a Tūq; fœlix hoc regnum tuum optime admini-
strabis, si studeas ipse omnia inspicere, nec quid
quā negligere sustineas. Neq; enim quod in tuo-
rum negociorū cōparatione paruum videtur, statim parū
& in te existimatur. Immo vnicū & nudum principis verbū
magnum habet apud omnes momentum.

PRINCIPIS EST LEGIBVS SE SVBMITTERE.

c Vm super terram qui te cogere possit habeas nul-
lum, eia ipse tibi obseruandarum legū necessitatē
imponere. Sic enim fit vt dum ipse eas præ cæteris reuereris,
& maiestas earū existat clarior, & neglectus acerbioris penæ
periculum subditis intentet.

PRINCIPIS EST INIVRIAM PROHIBERE.

e Qualis peccati reputa iniuriā facere, & non pro-
hibere. Nam in repub. quantumuis aliquis legit-
time viuat, Si tamen ad ciuiū suorū iniurias connis-
uet, apud deum scelerū omnium socius iudicatur. Quare si
duplici nomine probari gestis, Da operam vt te principe &
pulcherrimis virtutibus sint proposita præmia, & sceleratis
factis supplicia.

PRINCEPS BONVS MALORVM SO-
DALITATEM FVGIET.

b Ono principi vehementer conducere puto mo-
dis omnibus malorum sodalitiū fugere. Nam cui-
cū malis consuetudo est perpetua, eum necesse est

aut mali aliquid ab ijs pati, aut se ipso deteriorē reddi. At qui inter bonos viuit, horum vel doctrina honesta perdiscit, vel exemplo minus malus esse pergit.

PRINCEPS PRAEFECTORVM SVORVM INNOCENTIAM PRESTABIT.

C Um a deo optimo maximo tantū imperiū tibi cō-
creditū sit, caue optime princeps, ne ad publicorū
negociorū administrationē malis hoībus utaris.
Hic enim quicquid ab ijs peccatur, pro hoc rationē deo red-
des, utpote qui hāc eis authoritatē dederis. Itaq; boni princī-
pis est acerrimū habere delectum eorum, qui ad praefecturas
& magistratus sint admittendi.

PRINCIPIS EST INIURIAS LEVES NEGLIGERE.

A Eque malū iudico & inimicorū iniurias grauiter
ferre, & amicorū adulationibus gaudere. Nam
vtrisq; fortiter est reluctandū, & decorum ipsum
nulla ratione posthabēdū, vt & illorū inimiciā nulla ratio-
ne susceptam floccipendas, et facticiam horū beneuolentiam
non retaliēs.

PRINCIPIS AMICI.

P Orro hos demū puta veros amicos, non qui, quę
cūq; dixeris, pbant. Sed q; recto iudicio freti lau-
dāt quę iusta sūt et ea facere studēt, Quiq; si qd foe-
liciter cesserit, congratulantur. Sin quid aduersi, non minus,
quā tute, dolent. Hī enim soli verissimę amicitiaē indicium de
se prebent.

PRINCIPIS ANIMVS IDEM SEMPER
ESSE DEBET.

n E cōmittas vt magnanīmū pectus tuū terrenæ hu-
ius potentię tumor cōmutet. Sed cum mutabile et
periturū imperiū geras ī reb⁹ mutabilibus mentē
immutatā obtine, ne vel efferaris reb⁹ secūdis, vel deprimaris
aduersis. Nā vt aurū quācūq; ab artifice alias ī aliā atq; aliā faciē
transformat & subinde diuersam ornamentī speciem induit,
semp tamen in sua essentia permanet, nec naturæ suæ muta-
tionē admittit, sic et tu gloriosissime rex, cū ex imperio alio in
aliud quasi p grad⁹ ad summū regni fastigiū pueneris, in reb⁹
mutabilib⁹ eundē animū conserua, Qui ab honesti decretis
nusq; vel latum vnguem deflectat.

PRINCEPS FOELIX QVI VOLENTIB.
IMPERAT.

r Egnare te tuto sic demū existima si volentibus im-
peres. Nam populus qui inuitus paret, occasione
qualicūq; oblata seditionē mouet & iugū excutere
nititur. At qui beneuolentiæ vinculis principi suo sunt ob-
stricti, hī sua sponte constanter obsequuntur.

PRINCIPIS CONCSIENTIA.

i Am si regni tui potentiam modis omnibus cele-
brem reddi cupis, opere precīū est, vt quantū sub-
ditis tuis peccantibus succenses, tantundem indig-
nationis & aduersum te delinquentē animo concipias. Neq;
enim, præter rationem delicti ipsius domesticū testem, & ac-
cusatricem conscientiam, quisq; est, qui tanta potentia subla-
tum possit corrigere.

CLEMENTIA PRINCIPIS.

p Orro cui ingens adeo potentia contigit, is & deū potestatis ipsius datorē pro viribus imitetur. Si enī princeps, dei summi omniū principis imaginē gerit, & per hunc imperiū habet in omnes, maxīe in hoc deū imitari studebit, vt clemētia & misericordia nihil poti⁹ ducat.

OBLECTATIO PRINCIPIS.

n On tam aurū ac gēmas, accumulare studeamus quā benefactorū thesaurū. Qui & futuræ foelicitatis spe interim nobis blandiatur, & olim in coelis speratæ foelicitatis nos gustu demulceat. Nam quæ nobis in hoc mūdo bonorum specie obuersantur, quādo ad nos nihil attinent, delectare nos minime debebunt.

PRINCIPIS MVNIFICENTIA.

q Vod si qui imperata fecerint cū gratia, eorū sedulitatē splendidiorē munificentia pensare oportebit. Nā hac arte fiet vt & bonorū alacritatē augeas, & malos ignauia suæ penitentiā doceas. Enimuero eisdē premijs decorari, non eadē facientes nimis est iniquum.

PRINCEPS A CRVDRLITATE ABHORREAT.

s Vmmū quoddā & honorabilissimū mun⁹ est regnū, fateor. Sed tum maxime, cū qui hoc munere fungitur, nō ad animi sui libidinē omnia trahit. verū vbiq; spectat æquitatē. ita vt crudelitatem, perinde ac feris tātū dignā, auersetur, benignitatē autē & facilitatem, ceu diuinum quiddam preestet.

C

PRINCEPS IN IUDICANDO GRATIAM
NON RESPICIAT.

Equaliter vt amicis, ita et inimicis iudicia dictabis.
a vt in hac re nec propter beneuolentiã gratificeris
amicis, nec inimicis ob similitatē iniquior appareas.
Quando quidē eiusdē est iniuriã iniustū absoluerē, quod
sit amicus, & inocentē damnare, cū sit nobis amicus. Nam tã
etsi contraria sunt, vtrobicq; tñ simile malum reperitur.

ATTENTIO PRINCIPIS IN COG
NOSCENDIS CAUSIS.

Uma diligentia in iudicijs causas cognoscere
s oportet eos, qui de litigantium controuersijs sunt
pronunciaturi. Nã in singulis litibus iustitię inuen-
tio longe omniũ diffitillima est, & veritas parũ diligenter at-
tēdentes hic facile effugit. Sed si dicentiũ vehementia omissa,
pariter & dictorũ persuasionibus neglectis, in sententiarũ ip-
sarum profunditatem sese quasi vrinantes coniecerint, facile
quod quærent, inuenerint, & duplex peccatũ effugerint, vt
nec ipsi honestatē prodant, nec alijs, vt hoc faciant, permittāt.

DEI BONITAS INSVPERABILIS.

od si virtutes, quibus præditus es, stellarũ multis
q tudinē æquent, fieri tamen non potest, vt dei supe-
res bonitatē. Nam quantumuis aliquis ex his, quę
sibi contigerunt, deo offerat, tamen non sua, sed quę dei sunt,
deo offert. Et quemadmodũ fieri non potest, vt si in sole am-
bules tuã ipsius vmbra anteuertas, verũ semper, quantũ
libet festinas, prior occupat, Sic & insuperabilem dei benig-
nitatē mortales suis benefactis nunq; superabunt.

BENEFICII IMPENSA NVAQVAM PERIT.

Am vero benefactorū nostrorū hec est natura, vt
i eorū thesaur⁹ exhauriri nullis, quantūuis magnis,
possit sumptibus. Nam interim, dum erogatur, re-
cipitur, & dum spargitur, colligitur. Huius cū in animo tuo
sit, velut æterna quædā scaturigo, munificentissime princeps,
illis qui a te poscēt, liberaliter imperti. Si qdē hic impensa pre-
mijs suis alibi retaliabūtur, & infinito cum fœnore redibunt.

LIBERALITAS PRINCIPIS.

T cū regnū hoc tuū non tuis meritis, sed dei nutu
e sis adeptus, deū quoq; imitare. Præsertim in hoc,
vt de omnibus bene mereri studeas. Quando in
eorum es numero, qbus suppetit vnde in alios liberales esse
possint, nō etiā eorū, qui aliena munificentia indigeant. Etenī
tantę pecuniæ vīs et tam parata rei familiaris affluētia semper
suppeditat, quod subleuandę pauperū ageſtati sit satis.

OCVLVS REIPVB. PRINCEPS.

Vod in corpore sunt oculi, hoc in republica est bo-
q nus princeps. Nam vt illi corpori, ita & hic pro-
uidentia diuinitatis p̄ subditorū salute reipub. est
præfect⁹. Et quēadmodū oculorum officia, singula corporis
membra sentiunt aperte adeo, vt si, horū ductu destituantur,
ruant in preceps, Sic & principis mun⁹ est ita subditis suis p̄-
spicere, vt bonis proficiant, & in mala non impingant.

SATELLITIVM PRINCIPIS.

Ita & rerū tuarū vniuersam salutē non in hoc sitā
v putes, si barbari satellites latus tuum stipent. Sed

si ipsemet per iniuriã nulli vnq̃ noceas. Etenim qui nulli nocet
nullum item habet suspectum. Quod si nulli nocere securita
tẽ parat, Quanto id magis prestabit de omnibus bene mere
ri? Hoc enim nõ solũ nos tutos reddit, sed & amabiles oib̃.

MAIESTAS PRINCIPIS.

q̃ **V**od ad potestatis tuæ celsitudinem attinet, subdi
tis tuis esto formidabilis, & quod pertinet ad bene
faciendi facilitatẽ, amabilis, vt quasi per mediũ in
grediens nec maiestatem tuam amittas, dum nimium amas, nec
amorem negligas, dum tuendæ maiestati tuæ studes. Quin
potius conare ne vel amabilis tua facilitas in illorum abeat cõ
temptum, vel in odium, seueritas.

EXEMPLVM PRINCIPIS.

q̃ **V**æ subditis tuis obseruanda edicto proponis, eas
dem tute prior exemplo tuo cõmonstra, vt dictis
quibus tuis persuadere cõtendis, & vita tua respon
deat. Nam is maxime autoritatẽ suã commẽdabit apud om
nes, qui quæ prædicat, facit, & quæ facit, prædicat.

BEATIVS EST DARE QVAM ACCIPERE.

q̃ **V**i supplices mitissime rex beneficij aliqd a te ex
pectant, eos magis amplectere, quam qui magno
studio, quod tibi donent, cõquirunt. Quippe, qd
ab ijs remunerandi sollicitudo tibi oboritur, illi autem tibi de
bitorem faciunt ipsum deum, Qui beneficia in egenos colla
ta pro suis agnoscit, & donantis bonitatem cũ lucro rependit.

PRINCIPIS MISERICORDIA.

¶ **O**lis quidē est mūdū radijs suis illustrare. At princīpis summa virtus misericordia erga tenues & egentes moueri. Immo pi⁹ & bon⁹ princeps sole illustrior tanto censerī debet, quanto hic quidē perpetuis vicibus nocti succedit, ille autē ne tantillū quidem malorū rapacitati concedit. Sed veritatis luce inducta arguit & conuincit iniusticię occulta.

PRINCIPIS EST DIGNITATEM SVAM VIRTVTIB. ILLVSTRARE

¶ **A**m vero, qui ante te fuerunt principes, eis imperiū ipsum erat ornamento. Tu vero fortissime rex, fastigium hoc illustrius reddis, dum potentia tua morē morū facilitate temperas, & te aduentium metū, benignitate superas. Quo fit vt pauperes misericordia egenes in tuę tranquillitatis portū appellant, & qui paupertatis suę vndis iactati tuo beneficio naufragiū euaserunt, graulatorias laudes tibi decantent.

PRINCEPS AEQVALEM POTENTIAE SAPIENTIAM PRAESTABIT.

¶ **V**antū potentia mortaleis omneis antecellis, tantum & egregijs virtutū operibus prælucere contendes. Hoc enim persuasum habere debebis expectari a te honestatis operam, tantæ potentiaē magnitudinī parem. Vt ergo pleno laudis preconio celeberris a deo, da operam, quo vna cū inuicti regni corona, & munificentia erga pauperes stemmate potiaris.

MANDATVM PRINCIPIS.

P Riusq̄, quæ vis imperes, considera accurate, vt nihil aliud, quã que fas, & iura permittūt, imperes. Nã lingua instrumentū lubricū est, & in maxima saepe pericula adducit imprudentes. Itaq; si piæ rationis duce, tū, velut regulā quandā musicā ipsi adhibueris, perfectissim^{us} virtutū omniū concentus resonabit.

SEVERITAS PRINCIPIS.

S Euerū esse regē oportet, cū vbiq; tū v̄o maxie, cū de atroci aliquo facinore faciendū est iudiciū. Atamen hoc tēperamentū semper seruandū erit, vt ad irā tardus & cunctabūdus appareat. Omnino enī iræ vacuitas in cōtemptū abit. Quare vt principis est irasci mediocriter, ita huc non sine sūma causa deueniendū. Illud vt malorū cupiditas cōpescat, hoc ne bonis sui purgandi desit occasio.

PRINCEPS SVORVM MORES EXPLORET.

I N arcano pectoris tui secessu diligentissime aulicorū tuorū mores explora, vt exacte cognoscas & eos, qui tibi sincera fide & charitate famulentur, & qui sui cōmodi studio in tui fraudem adulentur. Nam in hoc genere multi, sub benevolentia persona, sibi credentes ingentibus incommodis afficiunt.

PRINCEPS CONSILIO ALIORVM VTETVR.

S I quando consiliū rebus tuis profuturū audieris, vide, vt hoc nō tantū auribus, sed & opere excipias. Nã regis authoritas tū demū vere clarescit, cū aut suo Marte, quid in quacq; re conueniat, videt, aut aliorum consilia non despicit. Sed discit quidem sine verecundia, excep

quiritur autem deliberata incunctanter.

TVTISSIMVM PRINCIPIS PRAESIDI
DIVM PIETAS.

v Tarx inexpugnabili muroꝝ ambitu septa hostes
se oppugnantes despicit, & e sublimi deridet. Sic
piū regnū eleemosynis munitū, & pijs in deū votis
quasi quibusdā turribus circūclusū, nullis hostium telis
expugnari pōt, Sed ꝑtra hos celeberrima erigit trophea.

REIPVB. RECTA ADMINISTRATIO
GRADVS EST IN COELVM.

i Mprimis cura, vt hoc terreno regno pro decoro
sic vtaris, vt fiat tibi ad supernam gloriā quasi quidam
gradus. Nam qui hanc mundi rempublicam
recte administrarint, postea & illa cælesti dignantur. Porro
hic recte administrant, qui paternū affectū erga subditos suos
ostendunt, & reuerentiā principi debitam ab illis vicissim
poscunt, dum scelera minis præcauent, & ad supplicij periculum
eos prolabi non sinunt.

AMICTVS PRINCIPIS.

v Estis præciosissima est & delicatissima, beneficentiae
amictus, & incorruptilis habitus amica erga
paupes sollicitudo. Qui ergo pie regere volet eius
usmodi indumentis animā suā exornet. Nam qui studio iuuan-
dorū pauperū velut purpura fuerit amictus, is & cælestis regni
ornamentis decorabitur.

RELIGIO PRINCIPIS.

o Vm regni tui sceptrū a deo susceperis, modis omnibus
cōsidera, qua via illi, qui hoc tibi dedit, placet

eere possis. Et cum eius beneficio supra ceteros mortales sis honoratus, conuenit, ut præ omnibus pijs factis vicissim eum honores. Porro hunc honorem ducit maximum, si a se creatos, ut se ipsum spectes ac tuearis, & in omnes beneficentiam tantum debitum exoluas.

IN NECESSITATE AD DEVM
CONFUGIENDVM.

In necessitate quidem mortales omnes salutis suæ gratia ad supernum omnipotentis dei auxiliū confugere debent. In primis autem princeps, ut quæ omnis omnium cura tangat. Facile enim est principi dei excubijs fretto, & hostes suos generose debellare, & suos extra periculum conseruare.

BENEFACIENDVM ETIAM INDIGNIS.

Deus nullius eget, princeps autem a solo deo pendet. Imitetur ergo nullius indigentem, & erga petentes misericordiam abunde ostendat. Nec facile a benefaciendo, tuorum indignitate deterrearis. Quin potius, quod ad victum attinet, nulli quidquam nega. Nam longe melius est & propter dignos, in indignos esse beneficium, quam indignorum causa & dignos suis fraudari premijs.

CONDONANDA SVBDITORVM PECCATA
NONVNQVAM.

Quoties peccatis tuis veniam deposcis, toties ipse in te peccatis ignosces. Quando apud deum pro venia datur venia. Neque enim deum offensum alta victima citius placaris, reconciliarisque, quam si ipse cum tuis seruis in gratiam redeas.

FAMA PRINCIPIS, ET CONSCIENTIA.

q Vi regni sui administrationem nullius calumnijs obnoxiam esse volet, cum oportet & aliorum malam de se existimationem vitare, & apud sese peccati conscientia pude fieri. Sic enim fiet ut foris quidem infamia, domi vero ultricis conscientiae metu, a peccando absteat. Iam si convenit subditos sceleris nomine pudere, Quanto magis idem decorum erit regi?

QVOD IN PRIVATO LEVE DELICTVM, HOC IN PRINCIPE FLAGITIVM.

p Ritati hominis vitiū puto mala & supplicio digna facere. At principis peculiare arbitror peccatū omittere honesta, & salutis publicae conferentia negligere. Neque enim princeps continuo iustus est, si a malefactoris temperet. Sed honesta facere hoc demum regem coronat. Studeat ergo non tantum a vitijs abesse, sed & virtutes amplecti.

MORS COMMVNIS OMNIVM.

p Rincipum splendidos titulos mors nihil formidat, Sed omnibus ex equo dentes suos illos edacissimos impingit. Itaque ante illius inepredicabilem adventum, pecuniarum nostrarum copiam in caelum transponamus. Nemo enim, quae in hoc mundo colligit, eadem cum hinc migrandum est, illuc secum abducit. Sed in terra post se relictis omnibus, nudus tantum abit vitam suam caelestis patris familiae rationi subiecturus.

PRINCEPS DEI SERVVS.

i Am vero dominus omnium est princeps. Sed interim deo servitutem servit cum omnibus communem. Porro

sic demū vere dominus vocabitur, si ipsi sibi domineſ, nec in
decoris voluptatibus seruiat. Immo si piæ rationis brutorum
affectuū iuicte, et verę dñatricis auxilio vsq̃, cupiditates alios
qui indomitas impenetrabilibus tēperantiæ armis deuincat.

PECCATA PRINCIPIS.

V T vmbra corpus, sic animā admissa peccata comi
tantur. Si quidē anīæ corpore exuta cuiusq̃ vel
bene vel male facta apud deum perspicuis figuris
adumbrant. Quapropter non est quod quisq̃ in diuino iudi
cio hominū more crimina sibi obiecta neget. Quando ipsa
cuiusq̃ opera presenti testimōio quęq̃ cōuincēt. Nō quod
vocē edāt, sed qđ qualia a nobis ppetrata sint, corā appareāt.

SEMPER VIGILANDVM CHRISTIAN NO PRINCIPI.

V T nauis, quæ secūdo ventorū flatu fertur, sepe nu
mero ipsos vectores fallit, & placidiore cursu p
uecta illos citiusq̃ expectarūt, ad destinatū portū
exponit, ita & p̄sentis vitę rapacissimę curs⁹ sepe, priusq̃ pu
temus, ad curriculi huius metā nos perducit. Hec cū sic habes
ant, studeamus vt omīa, quæ nobis in hoc mundo blandiun
tur, p̄teruecti, in illū cælestis patrię portū appellamus. Vbi
sine fine in secula seculorum mansio nobis detur.

PRINCEPS NON SVPERBIET.

S Vnt quos imperij honor superbos ac supercilios
fos reddit, vt qui potentiam suā non minus iactāt
quā cornua obuertit taurus. Sed tu carnis tuæ via
litem considera, & animi tumor facile residebit. Nam & si
terrena ditio potiris, tamē in mentē veniat, principes omēs

e terra ... ere principiū . Si quidem e puluere ad regia
tribunalia conscendunt, & rursus e tam sublimi folio in pulue
rem recidunt .

NVNQVAM PRINCIPI QUIESCENDVM.

A operā inuictissime princeps , ne vnq̄ quasi ne
d gotio confecto solitudinē deponas . Quin hoc
potius vide, vt quēadmodū qui gradus scandere
coepere, non ante gressum sistunt, quā ad summū vsq̄ fastigi
um sint eluctati, sic & tu ad honestatis culmen per viam virtu
tis anhelans, non ante deficias, quā cælestis regni iuga supe
raris. Quā palmā tibi pariter & coniugi tuæ tribuat principū
pariter & priuatorum princeps Christus Iesus in secula bene
dictus. Amen.

A ij lege pro iquando siquando
A iij pro vita , lege vitæ
B iij pro vr lege vt
C v. pagina priore lege principū & subie
ctur⁹ Et interī ibidē. c. v. facie i. lege SERVVS


Lipsiæ apud Valentinū Schumañ.

Mense februar. An.

M. D. XX.

IN NOMINE DOMINI AMEN


A. ...
B. ...
C. ...
D. ...
E. ...
F. ...
G. ...
H. ...
I. ...
K. ...

Handwritten signature 

A. ...
B. ...
C. ...
D. ...
E. ...
F. ...
G. ...
H. ...
I. ...
K. ...

...





Kc 187

ULB Halle

3


004 063 538




Sb

Mi







B.I.G.

Farbkarte #13

8e534



D. AGAPETI SANCTÆ
CONSTANTINOPOLI-
TANÆ ECCLESIAE DI-
ACONI, AD IVSTINIA-
num Cæsarem Augustū,
opusculū boni principis
Officia breuib⁹ sen-
tēns cōplectens,
Petro Mosella
no Protegē
se inter
p̄te.

